



Disputatio medica inauguralis de febre quotidiana intermittente

<https://hdl.handle.net/1874/343260>

35

Q. D. B. V.
DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FEBRE QUOTIDIANA
INTERMITTENTE,

Q U A M

SUMMO FAVENTE NUMINE

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri , atque in inclytâ ejusdem Academiâ
Medicinæ , Anatomes & Botanices Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, ut & Gratiœ
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in arte MEDICA Honoribus ac
Privilegiis legitimè consequendis ,

Examini Publico submittit

JOHAN CAROLUS SPIES , Wernigerodensis.

Ad diem 25. Februarii , hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM ,
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA , Academie
Typographi , clo lvc Lxxxvi.

Illusterrimo Comiti ac Domino

D O M I N O

ERNESTO

Comiti de Stolberg,
Koenigstein , Rutsch-
fort , Wernigeroda &
Hohnstein , Domino
in Epstein , Muntz-
berg , Brayberg , Aig-
mont , Lora & Klet-
tenberg , &c.

Comiti ac Domino meo clementissimo.

*ILLUSTRISSIME COMES
DOMINE clementissime.*

Cœlitus ad mortales deve-
nisse NOSCE TE IP-
SUM haud incongruè
dixerunt Veteres , ac
proinde omnibus omnino
fuit sacratissimum , quodque mihi , cùm
alioquin culpâ dignus essem maximâ ,
quôvis tempore , quolibet in loco de
meliori , quod ajunt , nota commendavi.
Atque ideò , dum memet ipsum novi ,
scio fateorque lubentissimè , longè me
esse inferiorem , quàm ut ILLUSTRIS-
SIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ ali-
quid Eâdem dignum offerre meis insit
viribus , maximum hâc meâ inexcusabi-
li audaciâ peccatum me commisisse ,
nullus nego ; Clementi tamen oculo ut
ILLUSTRISS. EXCELL. TUA illud
ipsum jam nominatum aspiciat deli-

A 2 Etum

ctum , supplex rogo oroque . Vilitatem
interim doni , quod offero , venerationis
veritas , quâ EXCELLENTIAM
TUAM suspicio atque deveneror
maximâ , compenset . Accipe igitur ,
ILLUSTRISSIME COMES , accipe
hunc parvum quidem , sed magno cum
labore enixum foetum , admitte eun-
dem sub tutelam , ut de benignitatis
TUÆ Magnitudine prospectus , nullâ
à momo , quicquid etiam conetur , affi-
ficiatur injuriâ , sed diu maneat super-
stes . Insuper & me consuetâ TUA
connatâque & verè **ILLUSTRI** Cle-
mentiâ in numerum eorum , quos Pa-
trocinio dignaris , recipe , ac denique
permitte , ut singularis illa mihi semper
affulgeat gratia , quâ ad ultimum usque
vitæ meæ halitum appellari possim

ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ

Utraecki die 25. Feb.

M. DC. LXXXVI.

Subiectissimâ observantia addictus servus.

JOH. CAROLUS SPIES.

PRO O E M I U M.



Um multisint, qui ex praconcep-
ta quadam, quod saepe fieri so-
let ab iis, qui rem non recte ac
minus accurate perpendunt, opi-
nione Febris Quotidiana existentiam planè
negent, illam pro non-ente habeant, & po-
tius tertianam duplicem vel quartanam tri-
plicem nominandam esse contendant; melio-
ribus insistens viis, firmioribusque instructus
fundamentis Disputationem præsentem Inau-
guralem de Febre Quotidiana Intermittente
conscribere sum arbitratus, & quidem ideo po-
tissimum, quoniam ipse eandem tum Witten-
bergæ in fœmina, tum Lugduni Batavorum in
Nosocomio itidem in fœmina bis observavi.
Experienciam igitur munitus, negandam non
omnino esse febrim hanc cum Horstio in ob-
serv.p.22. & B. Etmullero in oper.theor.
& pract.l.1. p.269. opinor, ac solum illam ter-
tianam duplicem, vel quartanam triplicem
tunc demum appellandam, quando tertiana
vel quartana præcessit, istam vero rectius quo-
tidia-

*tidianam dicendam, quæ statim à morbi prin-
cipio quotidie invasit, autumo: quam distinc-
tionem elegantissimam notavit Nobiliss. atque
Experientiss. Dn. D. Sperling, Practicus
Wittenbergeusis ut felicissimus sic desi-
deratissimus, Præceptor meus ob fideli-
tatem informationis incomparabilem
nunquam satis deprædicandus, in C.M.
S. de Febr. titul. de Quotidiana. Conferatur
etiam Höferus in Herc. Medic. l. 6. p. 353.
ubi nonnullas dictarum febrium differentias do-
cet satis adducit. Nunquam tamen cum Joële
in oper. med. T. 5. S. 2. p. 30. febrim quoti-
dianam pronunciabo vulgatissimam, rariſſi-
mam potius esse cum Horſtio l. c. Hollerio
de morb. intern. l. 2. p. 719. Fernelio l. de
different. febr. cap. 12. Timæo à Gul-
denklee casib. medic. l. 8. p. 358. aliisque
concedo lubentissimè, raritas interim rei non
tollit rei existentiam. Paucis hisce de Febris
Quotidiana existentia Proœmii loco præmis-
sis, ad naturam ejusdem pro virium ac judi-
cii debilitate explicandam progrediar. Faxit
DEUS ut fiat feliciter.*

DIS-

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
FEBRE QUOTIDIANA
INTERMITTENTE,

THESSIS I.

Febris juxta nonnullos à ferveo seu ferbeo, secundum alios à februo, Græcis παθαιριώ expurgo, deducitur, unde etiam à quibusdam vocatur Sanguipurium. Caprilio lib. de febr. p. 182. dicitur pituitosa, aliis phlegmatica. Græcis πυρετός αμφιμεσεύδε; Germanis das tägliche fieber audit. Quotidiana appellatur, quia quotidie invadit, sicut tertianæ vel quartanæ nominantur illæ, quæ tertio vel quarto die inclusivè sumto novo affligunt paroxysmo. Intermittens denique insignitur, ut distinguatur à quotidiana continua, quæ quidem remittit, nunquam tamen intermittit.

II.

Inter plurimas ab Autoribus traditas febris nostræ definitio-nes sequens præcipue nobis arridet, quod sit fermentatio san-guinis p. n., à commissione fermenti febrilis (Th. vi. describen-di) cum sanguine orta, variis stipata symptomatibus, quoridie ho-ris potissimum pomeridianis circa vesperam invadens & postmodum, fermento febrili discussò vel subactò, ad plenariam intermissionem veniens. Descriptio hujus febris per affectum, quod facit Piens Tr. de febr., nimis longè est petita, non minus ac illa, quando tussis per irritationem spirituum est explicata, quippe quæ de plurimis aliis affectibus quoque prædicari potest.

III. Spec-

3 DISPUTATIO MEDICA

I I I.

Spectat in febrium classe ad febres putridas , dum à pituita putrescente ortum suum trahit juxta veteres , alias quoque ad morbos intemperiei referri potest.

I V.

SUBJECTUM paroxysmorum est Cor; subiectum causæ verò sunt primæ viæ & inter has potissimum ventriculus , quod ex conjunctis symptomatibus facile est colligere , unde *Helmontius* rectissimè stomachum nominavit certaminis febrilis palæstram. De structura stomachi consuluntur *Bartholinus* , *Diemerbroek* aliquie Anatomici. Fermentum stomachale autem simul intelligimus , dum de ventriculo loquimur , quatenus illud ipsum à natura sua acido-volatili desciscit & versus fixiorem acidiorēmque & admodum debilem statum vergit , ut ingestorum centra legitimè solvere non valeat , sed loco chyli laudabilis cruditates pituitosas producat. Massa sanguinea , quod quidam volunt , propria materia febrilis sedes non est , si enim in eadem materia peccans hæreret , tunc lege circulationis cordi semper communicaretur , atque sic non intermittens , sed continua fōret febris , quod accuratissime notarunt laudatus *Dn. D. Sperling* l.c. *Marggravinus* in prodrom. medic. pract. p. 77. & *D. Sacchus* in *Irid. Febril. c. 12. p. 210.* Quod si verò diu duret malum , tunc sanguinem quoque inquinari & sic subjecti vice fungi posse nullus nego. Obstructiones & tumores in hepate , liene & pancreate interdum notabiles effectus potius sunt quam scaturigo mali , ut inde pro vero subiecto haberi non possint. Senes alii que temperamentum humido ac strigido donati , mulieres , obesi , ut & mucosa ac succida pneritia ad nostræ febris susceptionem maximè sunt dispositi. Remote etiam caput juxta Schneiderum afficitur.

V.

CAUSA IMMEDIATA PROXIMA est fermentatio sanguinis p. n. orta à fermenti febrilis cum sanguine commixtione. Quamprimum enim chylus vitium in primis viis nactus sanguini affunditur , illicò dicta fermentatio ob liberum materiæ primi elementi interclusum cursum subsequitur , hac enim ratione major

major vel minor oritur fermentatio, prout particulæ heterogeneæ magis vel minus resistunt jam nominatæ primi clementi materiæ.

V I.

CAUSA MATERIALIS, quam sub fermenti febrilis nomine in definitione proposuimus, est *humor quidam serosus, excrementinus & subacidus*, qui in ventriculo & intestinis copiose genitus cum chylo mediantibus mesenterii ductibus lacteis ac thoracico laterali massæ sanguineæ infunditur, ubi fermentationem p. n. dicto modo excitat, paroxysmumque inducit. *Sylvius in Prax. l. 1. cap. 28. §. 30. & cap. 30. §. 58.* ut & *Regnериus de Graef de succ. pancreat. c. 9. & 11.* omnium omnino febrium intermittentium causam esse succum pancreaticum asserunt, quod an credendum sit, prudentioribus judicandum linquo, hoc tamen adhuc semel moneo, quod obstruktiones ac tumores in pancreate febricitantium repertæ pro effectis rectius sint habendæ; dictus insuper liquor non est acidus, ut volunt, sed merè insipidus, neque ad fermentationem cum bile in intestinis, chylique depurationem, sed quod obiter addo, ad chylum & excrementa fluidiora reddenda, ut chylus eò melius tenuissimos angustissimosque lacteorum tubulos intrare, excrementa verò commodius per longos intestinalium anfractus delabi queant.

V I I.

Ut de INTERMISSIONE jam quædam afferam, continet eadem tum vasorum lacteorum, tum ipsius ductus *Pecquetiani* (vel ut alii volunt *Bilfiani*) obstruktionem (ab alio enim deduci non potest intermissio, inquit Clariss. *D. Sacchus l. c. p. 212.* nisi ab obstruktione, quæ liberum materiae cursum interdit) tum denique à materia peccantis quantitate insufficienti & ineptitudine ad movendum. Quemadmodum enim in defluxionibus catarrhalibus non quovis tempore peccantem eliminari materiam constat, sed tunc demum, quando tanta est materia collecta quantitas, ut vasa nihil insuper recipere, naturaque nil præterea tolerare valeant, ast eandem potius à novo superveniente humore propulsam eliminent: ita in præsenti quoque affectu res sece habet cum intermissione, quando scilicet sape memorata

10 DISPUTATIO MEDICA

rata vasa materiâ paroxysmum inducturâ repleta sunt, natura hōc modo gravata ab illo ipso onere se liberandi munus aggreditur.

VIII.

Quod autem quotidie ac statim quidem tempore recurrat, res aliorum est indaginis, spero tamen meam in sequentibus duabus thesibus proponendam hac de re sententiam quibusdam (omnibus enim placere est impossibile) aliquo modo fore satisfacturam.

IX.

Fieri verò quotidianam febris invasionem puto (1) ob materia peccanis copiam, in hac febre enim plura ad istius materiæ generationem concurrunt viscera, unde majorem ejus oriri quantitatem necesse est, multi simul & plures quam in ulla alia intermittente hīc obstruuntur ductus lactei, (quod ex virium lapsu patet, qui major in hac quam nulla alia febre ad απυρεξίαν perveniente notatur) in quibus proinde copiosius colligitur, hinc mole sua ac vitio illos ipsos irritat, citiusque quam in aliis fieri solet sui eliminationem exposcit. (2) Propter materia peccanis fluxilitatem, serum enim omnium maximè ad fluxum est dispositum, jam quia febris nostra est serosa, serumque hīc peccat copiâ, mirum non est, quod paroxysmi quotidie affligant. Hisce doctissimus Piens tr. de febr. p. 242. addit (3) foci conditionem, si scilicet aptus existat & commodus habeat meatus, ut facili inde effluere negotio queat materia, si quoque sensibilis valde sit, ut particulæ febribus diu ibidem nequeant remorari, verum singulis exinde diebus pellantur ac moveantur.

X.

Statim tempore quod fabulam repeatat, à consuetudine potissimum esse deducendum arbitror; quemadmodum enim, qui venæfctionem vel cucurbitulas cum scarificatione in usum vocare consueverunt, nec justum debitumque tempus observant, natura eorum sanguinis quantitate gravata ab eadem ad excretionem stimulatur, pruritusque exsurgunt maximè molesti: sic quoque si natura semel vel bis certo temporis intervallo sustinuit paroxysmum, assueta quasi eodem tempore, quæ sibi molesta sunt, excernit, novamque hōc pactō producit invasionem.

XI. Cau-

INAUGURALIS.

X I.

CAUSÆ PROCATARTICÆ, quæ ad nostræ febris productionem possunt concurrere, sunt variæ. Sic AER hybernus humidus ac frigidus inspiratus, & quatenus insensibilem transpirationem impedit, venit accusandus. **C**IBI flatulentí, humidi, cœtu difficiles, crudi ut & in nimia assumti copia plurimum conferunt. **P**OTUS largior, potus aquæ frigide in non adsuetis coctionem vitiat & cruditates cumulat aquofas. MOTUS post pastum nimius animales exhaustit spiritus, ut coctio negligatur. • **Q**UIES contra excedens, dum partes chyli optimæ explicari non possunt, excrementis verò admistæ remanent, cruditates producit. Eadem est SOMNI immodici ratio. **V**IGILIAE in seram usque noctem protractæ, quatenus spiritus animales dissipantur, ut coctionis officio adesse nequeant, cruditatem autores sunt communissimi. EXCERNENDA si retineantur, & RETINENDA si excernantur, multum contribuunt. **A**NIMI PATHEMATA, quatenus partim humores nimis movent, partim spiritus & calorem deprimunt, cruditatum proventui bonam dant occasionem. Multi insuper morbi prægressi, suum ad nostram febrim inducendam conferunt symbolum, ut defluxiones catarrhales, obstructio mensium, febres continuæ, cuius rei exemplum notare licuit in Nosocomio Lugdunensi anno 1685, mens Decembr. & similes.

X I I.

Alia ab Autoribus nuncupatur *exquisita*, alia *spuria*, licet hec differentia in nostro affectu accuratè notari non possit. *Primaria* quoque & *essentialis* est alia, alia *secundaria* & *symptomatica*. *Simplices* & *compositæ*; *Epidemia* denique, ut quidam volunt & *sporadica*.

X I I I.

SIGNUM nostræ febris PATHOGNOMICUM est quotidiana invasio cum frigore & insequente calore, ad plenariam intermissionem veniens. Varia insuper in hac febre occurunt, quorum in sequentibus danda est ratio. *Frigus* respectivè lene est, acidum enim hic debilius sulphur sanguinis, utpote causam nostri caloris, non tantopere deprimit, ut in tertiana vel quartana fieri consuevit.

B 2

vit.

13 DISPUTATIO MÈDICA

vit. *Calor* est lensus, quia serum copiâ peccans non citò potest subigi. *Circa vesperam ingruit*, quia est morbus serosus, serosi autem morbi noctu propter aërem tunc magis humidum ac frigidum sumunt incrementa. *Vomitus pituitosi* modò ante, modò in paroxysmo sèpissimè adsunt, ob materiæ contentæ vitium & copiam, quæ fibras ventriculi irritat & motum spasticum producit; Eadem quoque *doloris gravativi* in stomacho autor est, & quatenus principium fermenti stomachalis accido-falsum & volatile dissociat, enervat ac figit, fibras ventriculi laxat, vimque spirituum fermentum illud actuantium obtundit, *appetitum destruit*. *Cutis est pallida*, *pulsus tardus*, ob legitimam sanguinis circulationem impeditam. *Urina emititur alba & cruda in principio*, ob calorem depresso & coctionem vitiatam, unde sal & sulphur non eliciuntur nec expanduntur, color autem urinæ radicaliter à sulphure, explicativè à salibus est inquit *Excell. D. Wedelius in theoremat. rubicundior verò fit in progressu*, quia calor augetur & coctio melioratur. Ingruente paroxysmo frigus in corporis extremitatibus est notabile ob calorem tunc magis imminutum, *in naso* juxta quosdam potissimum observatur, quia est pars serosa, & quia mucus etiam in statu naturali est frigidus. *Dormiendi adest in paroxysmo cupiditas*, quoniam pauciores secessunt spiritus, qui insuper partibus aqueis immerguntur, ut liberè per cerebrum ac nervosum genus meare non possint. *Deliquium animi* lene quandoque notatur in paroxysmo, & vel propter consensum ventriculi, in primis si cardialgia adsit, vel propter spirituum cor influxorum suppressionem, vel denique ob ipsum eorundem defectum in debilioribus contingit. *Vires valde prosternuntur*, quia succus nutritius non rectè distribuitur, nec ob heterogenitatem assimilatur. *Cum sudore finiuntur paroxysmi*, quia pituita tunc temporis multum est attenuata. *Dintus durat paroxysmus quam in ulla alia intermittente*, ut plurimum enim ad 12, 14 vel 18 horas & ultra extenditur, tamdiu scilicet durat paroxysmus, usque dum materia peccans, quæ paroxysmum inducit, vel insensibiliter in auras eliminetur, vel aliquantis per domita ac mitior facta subigatur, debitisque viis per sudorem aut urinam evacuetur; Hinc cum in febre quotidiana humoris serosi excrementii

mentitii copia peccet maxima, oppidò constat, quod, dum
citò subigi nequit, afflictio duret longius.

X I V.

Circa PROGNOSIN notandum, quod præsens febris sit morbus chronicus, & duret ad 40. ac juxta *Franc. Grembs in arbor. integr. & ruin. homin. p. 388.* ad 64. dies, imò ad aliquot menses & ulterius. Urina si nullum habet sedimentum, si paroxysmi longius affligunt, si anticipant, diutius durabit febris. Si diu durat, in cachexiam imò ipsam hydropem ægrum dare potest præcipitem, quia tractu temporis sanguis crudus & aquosus evadit, in lethargum quoque & carum mutari potest, si pituita in capite cumulata poros cerebri vel illapsu in eosdem, vel compressione occludit, atque hinc spirituum animalium motum per dictos poros & nervosum genus modò minus ut in lethargo, modò magis ut in caro inhibet, ut alia mala silentio præteream. Difficillime insuper cedit remediis inveterata & Medicorum famæ insidias struit haud exigua. Alias juxta *Hippocr. libr. IV. Aphor. 43.* febres, quocunque modo intermittent, periculo vacant, quamobrem idem de febre nostra, utpote quæ intermittens est, erit dicendum. Invasio, quæ circa vesperam accedit, non tam periculosam reddit febrim, diurna enim nocturnâ est periculosior, ut docet *Hippocrates 3. epidem.* quia longiores habet accessiones, vid. etiam de hoc *Riverius in Prax. l. 17. B. Etmüllerus l. c. & Piens tr. de febr. p. 244.* Quod citius apparet sedimentum in urina, eò citius judicatur, & quod breviores sunt paroxysmi, quod magis quoque postponunt, eò brevior erit febris, notat enim materiam febrilem nec in magna generari copia, nec citò moveri. Bonum etiam licet non infallax signum est labiorum efflorescentia, abscessus quoque interdum solvunt febrim ut & alvi fluxiones.

X V.

Theoriâ breviter delineatâ, ad CURATIONEM progredimur, quæ vel in proxysmo, vel extra illum instituitur.

X-V I.

IN PAROXYSMO quidem sola diluentia ac sitim sedantia ex aq. card. bened. centaur. minor. decoct. hord. ceras. nigror. &

B. 3 simili-

familibus cum sirup. corallor. *Querc.* de card. bened. parcè, tinct. rosar. spir. sal. vitriol. in refracta dosi maritata locum inveniunt, quæ tamen etiam rectius, si fieri potest, omittuntur. Si verò lipothymia superveniant, internè cinamomum, spec. cordial. temperat, confect. alkerm. essent ambr. tinct. cinamom. v. cinamom. cydon; externè facculi ad pulsus ex cordialibus parati & spiritu theriacali camphorato irrigati, it. balsam. apoplect. Croll. aq. apoplect. & similia in usum vocari possunt.

X V I I.

EXTRA PAROXYSMUM instituitur curatio remediis ad indicationes directis. INDICATIONES verò hæ sunt, *ut humores pituitosi evacuentur, chylī vitium corrigitur & tertio denique ut stomachus ac reliqua viscera roborentur.* Non verò conductit hic evacuatio per VENÆSECTIONEM instituta, imò, licet à multis sine causa commendetur, plus nocet quām prodest in hac febre, quia primò materia peccans non hæret in sanguine, *ut Th. iv. dictum est,* postea calorem deprimit, sanguinis tonum destruit, spiritus animales cum viribus absunt & materiae in primis vii hærenti liberiorem in massam sanguineam concedit aditum, quo fit ut paroxysmus prolongetur, quod aliquando, dum quidam genium hujus morbi forte ignorans venæsectionem administrari jussérat, observare licuit. Negligendam igitur omnino esse in hac febre venæsectionem *cum B. Regio Medico quoniam hujus loci accuratissimo & Philosopho subtilissimo in Prax. Medic. p. 192. existimo,* nisi à mensium vel hæmorrhoidum obstruktione oriatur, tunc enim in pede celebrari cum fructu posse, nullus nego. Nec locum hic habent CUCURITULÆ SCARIFICATÆ, omnis enim sanguinis evacuatio ob jam datas rationes nocet. VESICATORIA, quia sèpius, quod Autores annotarunt, ulcera relinquunt rebellia, non omnino sunt tuta. Qui evacuationem per FONITCULOS impetrare desiderat, desideratum effectum non semper impetrabit. FRICTIONES in toto corpore possunt institui, serum enim stagnans reddunt fluxile, poros corporis aperiunt & transpirationem promovent.

X V I I I.

Longè meliorem ac tutiorem edunt effectum evacuantia interna,

INAUGURALIS.

13

terna, quæ quidem varia sunt, non tamen contemnenda, sed potius usurpanda. Inter hæc primò consideranda veniunt DIGESTIVA, quæ, licet non tam manifestè evacuent ut purgantia aliaque in sequentibus proferenda, non verò prætereunda esse judico, quatenus enim humores in corpore stagnantes obstructionum autores reddunt fluxiles & ad meliorem disponunt evacuationem, eatenus valde conveniunt. Faciunt autem hoc flor. sal. ammon. s. & martial. tartar. tartaris. sal. digestiv. *Sylv.* & alia falia, tinct. tartar. comp. antimon. tartaris. mart. cydoneat. essent. vitriol. mart. antiscorbut. elixir propr. rhabar. mistur. simplic. &c.

X I X.

Evacuant secundò PURGANTIA, quæ in hac febre maximè sunt proficia, dum irritando humores jam fluxiliores educunt. sint tamen non nimis fortia & cum judicio adhibeantur, parenturque ex phlegmagogis, qualia sunt fibr. helleb. nigr. rhabarb. rad. mechoac. alb. fol. sen. agaric. in infusis cum aliis exhibenda. M. Pil. tartar. *Bont.* extr. phlegmag. trochisc. agaric. resin. galap. magist. g. g. spec. diagalap. *Mynf.* & similia cum stomachicis maritata.

X X.

Evacuant etiam VOMITORIA, quæ purgantibus h̄ic loci preferimus, nisi adsint contraindicantia. Ideò autem præcipue prodesse dicimus, quia materia peccans in stomacho collecta optimè per eadem evacuatur. Inter innumera verò ab Autoribus descripta usitatoria ac tutiora hodie sunt tartarus emeticus à gr. iij. ad iv. cum rhabarb. radic. ari & crystall. tartar. infusum. croc. metall. vitri antimon. aq. benedict. *Ruland.* ad ȝij. vel ȝiiij. pro ratione subjecti.

X X I.

Evacuant porrò SUDORIFERA, quæ post purgatos humores crassiores magni sunt usus, quatenus minutissima vasa transfundendo serum adhuc in quibusdam partibus h̄erens dissipant & ad corporis peripheriam pellunt ac per cutis poros eliminant. Non excedatur verò in illorum usu, facile enim noxa potest subsequi, quam, nonnullo sudorifera sc̄eminae cuidam hoc affectu labo-

laboranti excessivè & inconsideratè propinante fecutam fuisse notavi. Sunt autem vel volatilia, vel fixa. Ex his pulverem Bezoard. *Wedel. D.D. Sperling.* specif. cephal. *Mich. unicorn. foss.* &c. commendamus, quo à quibusdam radix cava ad ʒj. data refertur. Ex illis sp. bezoard. *Buss. sudorif. Schneider.* sal. ammon. s. & succin. liquor. c. c. succinat. tinctur. Bezoard. *Wedel. D.D. Sperl.* laudamus.

XX I I.

Pertinent denique ad evacuantia DIURETICA & parari possunt ex asell. præp. lapid. cancr. magist. testar. ovor. strut. sale succin. volat. ononid. M. Pil. de terebinth. tinctur. silic. *Glauber.* tartar. comp. essent. succin. spir. tartar. rectif. & similibus.

XX I I I.

Chyli vitium tollunt, visciditatemque & subaciditatem removent SPECIFICA. Talia sunt pulv. febrifug. *D. D. Sperl.* stomachal. Ejusd. specif. antifebr. *Croll.* mater perlar. perlæ, lapid. pretios. in ditionibus, corall. rubra, alba, ol. antifebr. *Wedel.* caryophyll., cinamom. essent. stomach. sape laudati *D. D. Sperl.* quæ certè in hoc affectu est egregia, essent. absinth. comp. elix. propriet. sp. sal. ammon. succinat. extr. gentian. salia herbar. &c. ex quibus varie confici possunt formulæ, ut:

℞. Pulv. antifebr. *Croll.* ʒß. perlar. pulv. stomach. *D. Sperling.* a. gr. xv. ol. antifebr. *Wedel.* gt. j. M. F. l. a. pulvis D. in charta pro dosi.

℞. MPil. de succin. ʒß. extr. gentian. gr. xv. ol. caryophyll. gt. j. M. F. l. a. pilulæ D. pro dosi.

℞. Essent stomach. *D. Sperling.* ʒij. sp. sal. ammon. succin. ʒj. M. D. in vitro 8o. gt. pro dosi.

XX I V.

Tertiæ indicationi satisfacere poterimus remedii stomachum aliaque viscera CONFORTANTIBUS & coctionem promoventibus; qualia sunt conserv. pulp. citr. electuar. diacor. confect. alkerm. Zingib. nux mosch. in Ind. condit. cortic. citr. aurant. acor. ver. condit. spec. aromat. rosat. diambr. extr. ligna. aloës, acor. ver. essent.

essent ambr. lign. aloës, emulsio cordialis chimica D. D. Wedelii, olea aromatica, radices, herbæ & flores stomachales, semina aromatica, cinamomum & omnia aromata. Formulas addimus sequentes.

R. conserv. flor. anth. meliss. a. ʒj. confect. alkerm. ʒs. spec. ro-
sat. novell. diambr. a. ʒj. sirup. corallor. q. s. M. F.
l. a. Bolus.

R. Spec. diambr. aromat. rosat. a. ʒj. conserv. cortic. citr. salv.
a. ʒij. nuc. mosch. Zingib in Ind. condit. a. ʒs. pulv. sto-
mach. D. Sperling. ʒj. cinamom. semin. anis. cubebar. a. ʒj.
ext. lign. aloës. acor. ver. a. gr. xxiv. confect. alkerm. com-
pl. ʒij. ol. cinamom. gt. iv. essent. stomachal. D. D. Sperl.
ʒj. sacchar. canar. in aq. cinamom. cydon. ʒij. aq. meliss. fœ-
nic. a. q. s. solut. ʒv. M. F. l. a. morsuli.

R. Rad. gentian. ʒij. meliss. m. ij. flor. spic. m. j. semin. anis.
cortic. aurant. a. ʒij. galang. cinamom. a. ʒs. nuc. mosch.
ʒij. caryoph. ʒij. salis foenicul. ʒj. M. concif. cont. g. m.
D. S. species pro vino.

XXV.

EXTERNA & TOPICA apponere h̄c voluimus, licet his ipsis
in curanda febre nostra non nimium tribuamus, unde post in-
terna demum eadem recensemus. Applicantur autem partim regio-
ni stomachali, partim pulsibus manuum, partim dorso. Stomacho
quidem emplastra, cataplasma & linimenta ex stomachicis, car-
minativis & aromaticis parata, qualia sunt empl. de crust. pan.
de quo notandum, quod post applicationem aliquos producat
dolores, empl. de bacc. laur., spcc. pro cataplasmate de fermento
Mys. myrrha, Zedoaria, caryophylli, NMta, olea aromatica &c.
Pulsibus imponuntur epithemata ex radice urticæ cum aceto &
similibus. Singulare experimentum vid. apud Petrum Borell. cen-
tur. i. obser. 32. p. 40. item apud Robert. Boyle lib. de utilit. na-
tural. philosoph. c. 10. sect. 5. part. 2. Dorso linimenta ex unguent.

nervin. pingved. human. castor. & oleis aromaticis, it. ex spir.
sal. ammon. cum spirit. C. C. parata possunt inungi.

X X V I.

Ordinem vivendi quod attinet, sit in eo AER purus, tem-
peratus & ad caliditatem vergens. CIBI sint facilis coctionis ac
succii puri, condiri possunt rosmarino, aniso, foeniculo, ca-
ryophyllis & similibus, vitentur nimis humidi, coctu difficiles
& chylum viscidum generantes, ut fructus horarii, carnes sumo
induratæ, nimis pingues ac salitæ, lac, dulcia saccharata, fla-
tulenta & similia. Potus sit cerevisia benè defæcata, vini quo-
que moderatus usus convenit, potus theæ etiam conductus & hic
non exiguum præbere potest commodum. SOMNO indulgendum
est moderato. VIGILIÆ nimia absint. Motus sit ante & post
pastum conveniens, non excessivus. QUIETE utendum non ve-
rò nimia. VENUS sit modica. ANIMI PATHEMATA planè rele-
gentur.

Habes jam L. B. mea de præsenti affectu cogitata, quæ si pla-
cuerint, mihi gratulor, sin minus, corrige, meliora lubens af-
sumo. DEO interim ter maximo, cuius clementissima benedi-
ctione mea hactenus tractavi studia, gratias pro concessis viribus
persolvo æternas, Illi sit

LAUS, HONOR ET GLORIA.



CO-

COROLLARIA.

I.

PArtes humani corporis succo per nervos
ad easdem delato nutririri , qui nobis ob-
trudunt , sua potius figmenta , quām
veritatis fundamenta proferunt.

II.

Chlysteres verè nutrientes non dantur , la-
cteis enim omnino carent crassa intesti-
na; & præterea EX CLOACA NON
COMMODE POTEST FIERI
CULINA.

III.

Mania causam materialem esse principium
salinum acidum exaltatum tamen &
volatilisatum , tam ex signis & symto-
matibus , quām curatione patet.

C 2

IV. Ver-

I V.

Vermium juxta Veteres generatio homogenea risu meritò est. explodenda.

V.

Tinctura solis sive auri vera ac irreducibilis an à quodam parari possint, maxime dubito.

V I.

Plures ab excessu in bibendo quam edendo oriuntur morbi.

V II.

Infantes ex mammis lac elicere per suetionem, saniori rationi est contrarium.

VI

C 3